

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
R



ΔΙΚΑΙΟΛΟΓΙΑ

JUSTIFICATIONIS  
GRATUITÆ PECCATORIS  
CORAM DEO.

DUCE CHRISTO

*In illustri Academia Viadrina*

SUB PRÆSIDIO

*Reverendi & Clarissimi Viri*

DN. VVOLGANGI CRELLII,  
S. Theol. D. & Professor. P.

*Proposita  
ab*

ANDREA ADAMO,  
Dantiscano.

*Ut super eâ*

ad diem VI. Martij.

ANNI M. DC. XXIII.

horis locoq; solitis.

*Theologum enis liceat*

In Timore DEI

*συμβάλλεν.*

---

*Francofurti,*

Typis JOHANN EICHORNS.



ALPHABETICA  
JUSTITIA  
CORAM DEO

DISC CHRISTO  
in libro  
DR. VOL.  
2. Teil

DAVID  
V. M.  
1717



# GRATUITÆ JUSTIFICACIONIS PECCATORIS CORAM DEO.

## I.



Cientiam Justitiæ Christi per fidem, in seipso commendaturus Apostolus, *Certe*, inquit, *duco omnia damnum esse, propter eminentiam COGNITIONIS CHRISTI JESU Domini mei: propter quem omnibus istis me ipsum multavi: eaq; duco ut stercora, ut lucrifaciam Christum: Et comperiar in eo, non habens meam Justitiam, qua est ex Lege: sed eam, que per fidem est Christi, qua ex Deo est justitia per fidem.* Phil. 3<sup>v</sup>. 8. 9.

## II.

Quo ipso non soli *Philippenses*, sed & nos monemur: SCIENTIA JUSTITIÆ justificantis peccatorem coram DEO, nullam neq; *digniore*, neq; magis *necessariam* ducamus.

## III.

Non *digniore*, quoniam omnis operum observatio, cum *ceremonialium*, tum *moralium*, præ gloriâ illius, *ἐπιτα* sit *καὶ συνβάλλον*: v. 8. Non quidem respectu *Legis* & *Justitiæ*, à Lege flagitata: sed *hominis*, aut iniqui remanentis, aut fallaciter justii. August. lib. 3. contra duas Epistolas, Pelagian c. 7. Chrylóst. Hom. 11. in Epist. ad Philipp.

## IV.

Nec magè *necessariam*: quoniam & firma illius possessio sit certa Christi, *τὸ πᾶν πᾶντι καὶ ἐν πᾶσι* Col. 3, 11, lucratio: Et Paulus totus fuerit in hoc assequendo Uno Phil. 3, 14. Cujus agnitio *mentem* salutari cognitione Christi imbuat v. 10. *Voluntatem* in obsequium Deo gratum renovet v. 14. *Conscientiam*, spe vitæ æternæ sustentatam, pacatam

reddat. v. 11, 12. Rom. 5, 1. 12. Deniq; summam Evangelij TOTAM complectatur. Rom. 1. 17.

V.

Quemadmodum autem hæc SCIENTIA ea est, de qua merito dici possit *εὐδὸς ἐστὶ χρεία* Luc. 10, 42. de qua Luthesrus; *stante hoc*, inquit, articulo, *stat & floret Ecclesia*; *Hoc verò condulso & labefactato, velut fundamento, ruit adificium Ecclesie*: sic adversarij illius fuerunt multi, cum olim ex Judæis, Gentibus, Hæreticis; tum hodiè sunt plurimi, qui *Dei Justitiæ non subjecti*, partim ineptâ præposterâq; Sophisticâ, partim Magnitudinis Miseria suæ, & misericordiæ divinæ ignorantia, partim *Justificationis & Sanctificationis* confusione superbâ *suam Justitiæ stabilire conantur*.

VI.

Tantò igitur æquius est, ut illa inculcetur DEI SAPIENTIA: quantò vel periculosior *carnis* in oppugnanda τῆ πολυπραγμίας θεοῦ σοφία stultitia, vel major *hominis* animalis contumacia, & insolentior *gloriatio* est: ut obturetur omne os, & *obnoxius sit totus mundus condemnationi DEI*. Rom. 3, 19.

VII.

Evangelicæ autem Justificationis hujus veritas duobus modis explicatur commodissimè: *Definitione*; & *definitionis Resolutione*.

VIII.

*Definitur* è scripturis, quod sit *Gratuitum beneficium donumq; DEI remittentis offensam omnem, & imputantis Justitiæ ob meritum CHRISTI, cuius credenti: patefactum in Evangelio, apprehensum solâ fide ut serviat Dei gloriæ, conscientiarum paci, & saluti electorum aeterna*. Rom. 3, 24, 25.

IX.

Resolvitur autem bifariam. Primò *Definiti notatione*:  
Secun-



Secundò; *Causarum Definitionis omnium & consequentium* explicatione. De quo utroq; jam ordine conveniente dicemus.

X.

Definitum ambiguum est. Justificatio enim quandoq; *generatim*, quandoq; *speciatim*, & sic rursus vel *improprie* dicitur, vel *proprie*.

XI.

*Generatim* vocatur ipsa Justitiæ Applicatio. *Speciatim*, sed *improprie*, est effectio cujusdam sanctitatis habitualis in homine: *Proprie* vero, est Hominis à reatu coram Deo absolutio.

XII.

Hoc enim *proprie* designat Hebræis פִּיזִיק Hitzdick hoc est pro *insonte* habere, *justum* reputare. Exod. 23, 7. Esa. 5, 23. Deut. 25, 1. Job. 9, 20. Hoc *proprie* Græcis δικαιῶν, hoc est à *reatu* absolvere, *justum* censere, quemadmodum δικαιῶσαι in N. T. significat ἀπολύεσθαι, ἢ δικαίον νομίζεσθαι. Act. 13, 39. Rom. 5, 17. Rom. 8, 33. Cui opponitur κατακρίνεσθαι. Hoc deniq; Germanis *proprie* Rechtfertigen / hoc est gerecht und los sprechen / cui contrarium verdammen. Unde à foro humana & civili, ad iudicium spirituale DEI id nomen translatum est.

XIII.

Nunquam vero significat in scriptura sacra, cum de *justificatione* hominis coram Deo sermo est, habitum justitiæ alicui infundere, S. ex injusto *justum* habitualiter facere. Quamobrem absurdi sunt Sophistæ, qui nomine justificationis vel Φουσιῶς, *motum* ad justitiam, vel ματασιολόγως, *infusionem* justitiæ, quæ est opus legis, designari arguantur.

A 3

Porro

## XIV.

Porro quemadmodum *Justitia* duplex est; Una *Qualitatis & Inherentia*. Altera *Relationis S. Imputationis*: quarum illa *Legalis*; hæc *Evangelica*: prior *operum*, posterior *fidei* vocatur: sic & *justificatio* duplex occurrit: Una *legalis*, altera *Evangelica*.

## XV.

*Legalis*, quâ quis *in se* justus habetur, *justitiâ* inherente: quomodo homo in *Primo statu integra natura* fuit. Eccles. 7, 29. & in *ultimo gloria* justus erit: verum in *statu presentis miseria*, aut *donata gratia*, nullus perfectè coram Deo justus esse potest, nec potuit. *Sunt enim*, dum sunt in *miseriâ*, *omnes sub peccato*. Rom. 3, 9. *Nec est justus, ne unus quidem* v. 10. Præterea dum stant in *Gratiâ*, orare coguntur, seu ex *mandato* servatoris: *Remitte nobis debita nostra*. Matth. 6, 12. seu ex *testimonio* Davidis: *Domino ne intres in judicium cum servo tuo: neque enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Psal. 143, 2. seu deniq; *cacitatis* proprio sensu testari: *Delicta quis intelligit?* Psal. 19, 12. Et cum Paulo fateri, *conscientiâ propriâ imperfectionis*: *Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum*. 1. Cor. 4, 4. De hac igitur jam non agimus: quam scriptura à *justificatione* discernens, *nostram sanctificationem* appellat. 1. Thess. 4, 4.

## XVI.

*Evangelica* vero, sola est quæ definitione expressa est: nempe quâ peccator absolvitur & justus coram DEO reputatur gratis per fidem propter Christum. Rom. 5, 19.

## XVII.

Hæc primò dicitur *Evangelica*: quia licet *contra legem* non sit, non tamen *à lege*, sed *sine lege* patefacta est. Rom. 3, 21. In *Evangelio* revelata. Rom. 1, 17. testimonio legis

Iegis ac Prophetarum comprobata Rom. 3, 21. Quâ sola  
post lapsum iusti sunt, quotquot apud Deum justifican-  
tur. Rom. 5, 19.

XVIII.

Secundo dicitur *Beneficium gratuitum & donum*:  
quoniam tam respectu justificantis *Dei*, actio misericordis  
ex gratiâ est: Tit. 3, 4. quam respectu peccatoris *justifi-*  
*candi* *gratia* est Rom. 5, 15. Unde rursus, quam sint in-  
epti hostes gratiâ, videre est.

XIX.

Pontificij geminam justificationem fingunt. *Primam*,  
quâ ex malis boni, ex injustis iusti reddamur per habi-  
tum charitatis infusum ex gratiâ. *Secundam*, quâ ex bonis  
meliores, ex iustis iustiores efficiamur, ex meritis ope-  
rum *prima* beneficio editorum.

XX.

Sed commento *Novo*: quia ejus in Scriptura nullum  
vestigium: Et *falso*; quia è diametro scripturis contrari-  
um. Primum enim nusquam illæ geminam coram Deo  
justificationem tradunt, sed unam tantum, quam in re-  
missione offensæ, & imputatione justitiæ, ob satisfactio-  
nem Christi fide apprehensam collocant: *siquidem Deus*  
*unus est, qui justificat Circumcisionem ex fide, & preputium*  
*per fidem* Rom. 3, 30.

XXI.

Quin se mutuo duæ illæ justificationes elidunt: Justi-  
ficatio enim per gratiam, quæ *prima* dicitur, aut *perfecta*  
est, aut *imperfecta*. Si perfecta, altera non requiritur. Si  
imperfecta: falsum est, quod omnem tollat condemna-  
tionem Rom. 8, 1, quod perfectam conscientijs pacem ad-  
ferat Rom. 5, 1. Insuper merita operum nostrorum Chri-  
sti merito pervalent, utpote, quæ justificationem pri-  
mam.



nam imperfectam absolvunt. Quæ utiq; summa in Christum blasphemia est, quippe qui solus lacum vini furoris & iræ DEI calcavit Apoc. 19, 15, & de cujus solius plenitudine omnes accipimus omnia. Joh. 1, 16.

XX I.

Præterea divisionis membra pugnant cum diviso. Primo: quia justificatio non est actus dividuus, qui primo justum inde justiore reddat. Deinde: quia justificatio merum gratiæ opus, non operum nostrorum meritum est: quæ fecerimus ipsi. Ante vel post justificationem Tit. 3. 4. Ephes. 2. 9. *Tantum de Definito.*

XXIII.

Causa efficiens justificationis est Deus. Is enim est qui justificat. Esaia 43, 12. Rom. 8, 33. Nimirum, quia in ipsum solum peccatur. Psal. 51, 6. Quod pro natura operum ad extra ita tribus Deitatis personis commune est, ut tamen Patri & Filio peculiari quadam ratione adscribatur. Illi, quoad causam *προηγυμένην*. Isti, quoad causam *προκαταρκτικήν* & meritoriam.

XXIV.

Causa *προηγυμένη*, sive impulsiva interna, est Gratia Dei Patris. Rom. 3, 24. Ephes. 2, 8. quæ non est qualitas infusa, aut habitus justitiæ nobis inhaerens: sed gratuita DEI bonitas, & benevolus affectus voluntatis ejus erga nos, unde, tanquam ex primo fonte, remissio peccatorum, justitia & vita nostra profluxit: siquidem alibi *συνωνύμως* vocatur DEI *miseriordia, benignitas, Φιλανθρωπία, Dilectio* Tit. 3. v. 4, 5. Joh. 3, 16. & à justificationis charismate, ut causa à suo effectu, distinguitur. Rom 5, 15.

XXV.

Hæc omnia nostra merita & opera excludit: quia si ex gratia, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia. Rom. 11, 6. Causa



## XXVI.

Causa *προκαταρκτική*, S. impulsiva externa, est λύτρωσις, sive satisfactio Filij DEI pro nobis, sicut dicitur Rom. 3, 24. *Justificati gratis per ἀπολύτρωσιν, quæ est in Christo Jesu.* Item 1. Timoth. 2, 6. *Dedit semetipsum ἀντίλυτρωσιν pro omnibus.*

## XXVII.

Λύτρωσις vero, sive satisfactio Christi pro nobis, est mors Christi, cum *universa* humiliationis obedientia, usq; ad mortem crucis: vel, ut alij loquuntur, Christi obedientia tam *activa*, quam *passiva*: quarum illa Sanctæ *vita* hæc *mortis* dici consuevit. Utraq; hæc obedientia ad justificationem nobis procurandam necessaria fuit.

## XXVIII.

Prior quidem (activa) ad *dignitatem* personæ & *pretium* sacrificij ipsius, ut esset *sancta victima*, & oblatio bonæ fragrantia DEO Ephes. 5, 2. De quo Petrus loquitur 1. Pet. 1, 19. *Redempti sumus pretioso sanguine, utpote agni inculpati & incontaminati, nempe Christi.*

## XXIX.

Altera vero (passiva) partim propter *JUSTITIAM DEI*, secundum quam omnes peccatores digni sunt morte, Rom. 1, 32. & per quam absq; sanguinis effusione nulla nobis contingere poterat remissio. Heb. 9, 22. partim propter *VERITATEM* comminationis ejus: quia dixerat: *Quocunq; die comederis, morte morieris.* Genes. 2, 17.

## XXX.

Præterea necessaria fuit *utraq;* illa Christi obedientia, non ad diversa ἀποπέλασματα: v. g. obedientia *activa* ad impetrandam nobis justitiam: obedientia *passiva*, ad impetrandam remissionem peccatorum: *Illa* ad delenda peccata omissionis: *Ista*, ad delenda peccata commissio- nis: *Illa* ad promerendam nobis vitam: *Ista*, ad depel-

B

len-

lendam à nobis mortem. Nam scriptura hæc omnia promiscuè obedientia, passioni, morti & sanguini Christi adscribit. Sed necessaria fuit ad eadem ἀποτελέσματα producenda, ad eadem redemptionis beneficia nobis impetranda, idq; conjunctim, non divisim aut separatim.

XXXI.

Quod ipsum Scriptura his & similibus locis expressis verbis docet.

Esaia 53, 11. *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos, quoniam iniquitates ipse bajulavit.*

Joh. 17, 19. *Ego pro eis sanctifico meipsum, hoc est offero in sanctam victimam, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.*

2. Cor. 5. 21. *Fecit DEUS eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos fieremus Justitia DEI in ipso.*

1. Pet. 1, 18, 19. *Redempti sumus non auro, nec argento, sed pretioso sanguine agni inculpati & incontaminati, Christi.*

XXXII.

Hæc causa dici solet *MERITORIA*, quia Christus λύτρωσίν suo nobis meruit remissionem peccatorum. Matth. 26. 28. *acquirit Ecclesiam proprio sanguine.* Act. 20, 28. Item causa *MATERIALIS* Justificationis, quia obedientia Christi est res illa quâ justii constituimur: & similiter excludit omnia merita & opera nostra. *Nam si ex lege est Justitia, Christus frustra mortuus est.* Gal. 2. 21.

XXXIII.

Causa *Organica*, sive instrumentalis justificationis *inseparabilis*, est *FIDES*, & quidem *SOLA* fides, cui passim tribuitur justificatio. Rom. 3, 4, 5. capp. Gal. 3, 4. capp. idq; quædam casuum varietate, ut dicatur *ex fide, per fidem, in fide.* Rom. 3, 28, 30. cap. 5, 1.

XXXIV.

Dicitur autem fides justificare non *Qualitative*, per modum



modum dispositionis, *inchoando* justificationem. Quod enim in subjectum non introducitur, ad id præcedanæ dispositiones non requiruntur. Ratio evidens est: quia dispositiones subjectum S. materiam præparant ad recipiendam formam. Justificatio in subjectum non introducitur: quia non in qualitate inhærente, sed in remissione peccatorum, sive justitiæ imputatione posita est. Rom. 4, 6, 7. Ergo ad justificationem præcedanæ dispositiones non requiruntur: & ex consequenti nec fides per modum dispositionis justificat.

XXXV.

Insuper cui tota justificatio tribuitur, & quod ad totam justitiam imputatur, id non inchoat tantum justificationem. Fidei tribuitur tota justificatio Rom. 8, 28. cap. 5, 1 Gal. 2, 16: Fides ad totam justitiam imputatur. Rom. 4, v. 5, 9, 22. E fides non inchoat tantum justificationem.

XXXVI.

Sed fides justificare dicitur *CORRELATIVE* quia correlatum fidei, id est, satisfactio Christi nobis imputatur ad justitiam. Rom. 5, 19. 2. Cor 5, 21. Item *ORGANICE*, quia fides est organon S. manus accipiens, sibiq; applicans justitiam à DEO donatâ, S. remissionem peccatorum. Act. 26, 18. Quo sensu causæ instrumentali tribuitur, quod est efficientis principalis: quomodo etiam Evangelium dicitur *Potentia DEI ad salutem omni credenti*, quia potentia DEI salvifica organon, & Spiritus ministerium est. Rom. 1, 16. 2. Cor. 3, 8.

XXXVII.

Dicimur præterea *SOLA* fide justificari, tum *Correlative*; quia sola satisfactio & justitia Christi est nostra justitia coram DEO, cum non sit in alio quopiam salus. Act. 4, 12. & sanguis ejus mundet nos ab omni peccato 1. Joh. 1, 7. tum *Organice* quia sola fides est instrumentum justificationis, & fidelis non alia ratione justitiam illam, quâ justus censetur coram DEO, quam fide amplecti sibiq; applicare potest. Rom. 5, 17, Act. 26, 18.



## XXXVIII.

Fides igitur *SOLA* dicitur, non ratione *existentia*, quasi solitaria, separata à charitate existat: sed ratione *proprij sui objecti*, & *proprij actus* circa illud objectum, quem ipsa sola exercet, non alia aliqua qualitas in homine.

## XXXIX.

Cum insuper *SOLA* justificare dicitur, vox *SOLA* ad determinationem prædicati, non subjecti referenda est: sicut oculus solus videt, auris sola audit, quia *ille* unicum videndi, *ista* unicum audiendi est instrumentum. non autem, quasi istos actus separata à capite reliquoq; corpore exerceant: siquidem destructis subjectis, simul destruuntur eorum actus.

## XL.

*Organica* causæ *externæ* justificationis dici possunt, quæ & fidei: *Verbum Evangelij*. Rom. 1, 16, 17. cap. 10, 17. *Sacramenta* 1. Pet. 3, 21. Rom. 4, 11. & *verbi Sacramentorumq; administrari*. Dan. 12, 3. Joh. 20, 23. 1. Tim. 4, 16. Per hæc enim organa *DEUS ordinariè* justificationem & salutem electorum operatur, in quantum per ea in cordibus nostris accendit ac confirmat fidem, quâ sola justificamur & servamur.

## XLI.

*Materia* sive subjectum *δεκτικόν* justificationis, non est sola *woluntas* vel *animus* hominis, sed totus homo *peccator, credens* in Christum: qualis erat Publicanus ille Luc. 18, 13, cum sensu peccati contritus oraret: *DOMINE propitius esto mihi misero peccatori*. Nam justificat *DEUS impium*, remittendo ei peccata. Rom. 4, 8. & justificat eum, qui est ex fide Joh. 3, 16. Ut ita subjectum justificationis sit impius, *non* qui talis manet etiam post justificationem: nam ei succedanea Sanctificatio renovat ipsum à corruptione, licet planè eam non aboleat: sed qui impius *naturâ*, credit sibi remitti peccata propter Christum ex gratiâ.

*Forma*



XLII.

*Forma* justificationis non est interior animi nostri *renovatio*, sive *infusio* propriae justitiæ per modum *habitus*, sive *qualitatis* cujusdam in nobis residentis.

XLIII.

Justitia siquidem, quæ causa formalis est nostræ justificationis, sive per quam formaliter justii constituimur, est *justitia DEI*, *justitia fidei*, *justitia imputata*. Rom. 3, 21, 22. cap. 4, v. 5, 6. Justitia inhærens non est *justitia DEI*, quia ab ea distinguitur Phil. 3, 9. non consistere valet in ejus judicio Psal. 143, 2. Non *justitia fidei*: quia non operanti, sed credenti fides imputatur ad justitiam. Rom. 4, v. 5. Non *justitia imputata*: quia quod inest homini IN SE, ei propriè loquendo non imputatur. Justitia inhærens inest homini IN SE: Ergo ei propriè loquendo non imputatur.

XLIV.

Ad hæc, justitiam, per quam justificamur, *perfectam* esse necessum est, quia *judicium DEI est secundum veritatem*. Rom. 2, 2. Justitia vero nobis inhærens non est perfecta, quia *in multis impingimus omnes*. Jacob. 2, 10. *nemoq; est, qui nõ peccet*. 1 Reg. 8, 16.

XLV.

Est vero justificationis forma *absolutio peccatoris à reatu & culpa*, sive *remissio peccatorum & imputatio justitiæ*. Quæ duo exegeticè conjungimus, ut posteriùs declaret naturam prioris. Non enim sunt *partes*, secundum *Rem* subjecto, vel forma differentes, quæ justificationem, ceu totum quoddam, *integrent*: (alioqui *justi & beati non essent, quorum remisse sunt iniquitates*, Rom. 4, 7. Psal. 32, 1.) sed sunt partes secundum *Rationem*, quæ unum eundemq; justificationis actum respectu *terminorum* diversorum, à quo, & ad quem, *distinguunt*, prout fieri solet in ijs actionibus, quæ *contrariorum immediatorum àgou x̄ Sæci* constant.

B 3

Proino



XLVI.

Proinde sicut in *vestitura* privatio nuditatis, & vestimentorum applicatio, in *dealbatione parietis*, depulsio nigredinis, & asperio albedinis non est nisi una formalis actio secundum Rem, quæ λόγῳ seu terminorum respectu in duos distinguitur. Eundem in modum in actu justificationis partes differentes sunt τῷ λόγῳ, ratione terminorum, à quo, & ad quem, remissio peccatorum, & imputatio justitiæ, licet sint unus justificationis actus τῷ εἶναι.

XLVII.

Flagitiosè igitur doctrinam justificationis depravant cum Sociniani, cum Papani. Illi dum justificationem nudam esse & simplicè à peccatis liberationem asserunt, in sola DEI misericordià fundatam, absq; ullo respectu satisfactionis à Jesu Christo acceptæ. Isti: dum partes ejus *essentiales* duas constituunt, easq; *remissione peccatorum*, quæ ipsis abolitio eorum, ut privatione, & *infusione justitiæ*, tanquam forma, describunt.

XLVIII.

Illos enim refutat Christus Joh. 3, 18, & 36. & Paulus Rom. 4, 7. Deinde DEI *tum justitia* Deut. 27, 26. *tum veritas* Gen. 2, 17. Deniq; sanguis Christi, qui pro nobis datus est in λύτρον, Math. 20, 28. in ἀντίλυτρον 1. Tim. 2, 5. In λύτρωσιν & ἀπολύτρωσιν, Rom. 3, 25.

XLIX.

Istos similiter Scriptura non uno modo. Primo enim Scriptura justificationem sola remissione peccatorum, sive imputatione justitiæ definit in Epistola ad Roman. cap. 4. v. 6, 7, 8. his verbis. *David beatum declarat eum hominem, cui DEUS imputat justitiam absq; operibus: dicens, Beati, quibus remissa sunt legis transgressionis, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Item Act. 13, 28, 39. *Notum igitur sit vobis, fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per isum: Et ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis justificari, quem vis credentem, per hunc, absolvi.*

## L.

Unde talem deducimus demonstrationem. Per quod *formaliter* iusti sumus coram DEO, & à peccatis absolvimur, eo solo iustificatio nostra continetur. Per solam remissionem peccatorum formaliter iusti sumus coram DEO, & à peccatis absolvimur. E, sola remissione peccatorum iustificatio nostra continetur.

## L I.

*Secundo*. Abolitio peccati, & infusio S. acquisitio iustitiæ partes sunt essentialia *sanctificationis*. Non igitur partes essentialia iustificationis esse possunt.

## L II.

Antecedens docet Apostolus Ephes. 4, 22, 23, 24. Col. 3, 5, 8, 10, 12. & alibi. Consequens itidem docet I. Cor. 1, 30. & in Epistola ad Rom. cap. 5, 6, 7, 8. ubi à *iustificatione* ad *sanctificationem* progreditur. Licet enim hæc duo beneficia individuo nexu cohæreant: tamen *genere, forma, gradibus*, atq; ita *essentialiter* differunt.

## L III.

*Genere*: quia iustificatio *relationis* est, & immunitas à reatu: Sanctificatio *qualitatis*, utpote naturæ innovatio.

## L IV.

*Modo S. forma*: quia iustificatio est *remissio* peccatorum, ob imputatam Christi iustitiam, ac proinde reatum tollit peccati: *Beati enim, quorum remisse sunt iniquitates, quibus Deus non imputat peccatum*, imputat vero iustitiam absq; operibus Rom. 4, 6, 7. Sanctificatio naturæ corruptæ per Spiritum sanctum *immutatio*, quæ ipsam peccati vitiositatem abolet.

## L V.

*Gradibus*: quia iustificatio in se est actus *individuus*, utpote perfecta nostri reconciliatio cum DEO, ut nulla supersit eadem natio Rom. 8, 1. Sanctificatio est actus *dividuus*, & in hac vitâ imperfectus, quia neq; quoad partem *intelligentem*, neq; quoad *volentem & appetentem* plena fit in hac vita naturæ restauratio: sed manet adhuc in sanctis *peccatum inhabitans, concupiscentia, & multa alia peccata infirmitatis & ignorantia*, quæ sanctificationem nondum esse perfectam satis arguunt.

## L VI.

Unde sancti de illa magnificè *gloriantur* Rom. 8, 33, 34. de hac humiliter sentire, & flebiliter etiam *exclamare* solent Rom. 7, 24.

## L VII.

*Finis* iustificationis *ultimus*, est gloria DEI, ut qui *glorietur, in DOMINO*

*glorietur.* 1. Cor. 1, 31. Et quidem partim ipsius *miseri cordie*, quod justificat impium. Rom. 4, 5. partim *justitia*, quateus Christum filium proposuit, ut esset placamentum pro nobis Rom. 3, 25. Finis *subordinatus* est *salus* æterna eorum, qui justificantur Tit. 3, 4, 5, 7. ac eorundem firma in vita & morte *consolatio*. Rom. 5, 1. cap. 8, 32, 33. Tantum de *causis*. Sequuntur Consequentia tam *Effecta*, quam *propria*.

LVIII.

*Effecta* justificationis sunt *Adoptio*, per quam electi DEO jam actu placent, tanquam ejus filij & cohæredes Christi Rom. 8, 1. Eph. 1, 5. *Pax* & tranquillitas conscientie, cum sentimus nos coram DEI judicio, & judicio propriæ conscientie nostræ à reatu peccati esse absolutos. Rom. 5, 1. *Fiducia* de exauditione precum nostrarum de qua est 1. Joh. 5, 14, 15. *Patientia* & tolerantia in cruce, nec non *Gloriatio* de ea. Rom. 5, 2.

LIX.

*Adjuncta* justificationis censemus *primo*, quod sit *una specie* in omnibus: quia DEUS omnes credentes uno eodemque modo justificat videlicet *gratia sua & merito* Christi per *fidem*. Act. 15, 11.

LX.

*Secundo*; eadem justificatio est *una numero* in singulis, ut quæ est actus indivisus, tum ratione *objecti*, quia omnia peccata DEUS nobis remittit, *Originale & actuale*. *Commissionis & omissionis* Psal. 103, 3. & 130, 8. 1. Joh. 1, 7. tum etiam ratione *actus*, quia plenè reconciliamur DEO, ut justificati fide pacem habeamus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, nec ulla sit condemnatio in ijs, qui sunt in Christo Jesu per fidem justificati. Rom. 5, 1. cap. 8, 1.

LXI.

Interim *sensus* justificationis in nobis, sive *acceptio* remissionis peccatorum per fidem actus est non indivisus, sed divisus, non perfectus, sed imperfectus.

LXII.

*Tertio* gratia justificationis certa est & infallibilis, quam DEUS semel datam nunquam revocat, propter gratiæ suæ immutabilitatem. Rom. 11, 29. Unde quam absurda sit Pontificiorum *excoꝝn* de remissionis certitudine dubitantium perpetuo demonstratur.

LXIII.

*Postremo* justificatio hujus vitæ beneficium est. Nam DEUS in se impios, in Christo credentes justificat Rom. 4, v. 5. quales sunt electi in hac vita. In altera autem vitâ nos publicæ absolutionis testimonio, filij judicis voce prolato, justificatos pronuntiabit Matt. 25, 34. ita quidem, ut nunquam deinceps justificemur, qui nunquam in peccata, à quibus est justificatio, relabemur: verum justifimus in nobis ipsis per consummatam sanctificationem.

F I N I S.


617.

di

m-

22.





ΔΙΚΑΙΟΛΟΓΙΑ

JUSTIFICATIONIS  
GRATUITÆ PECCATORIS  
CORAM DEO.

DUCE CHRISTO

*In illustri Academia Viadrina*

SUB PRÆSIDIO

*Reverendi & Clarissimi Viri*

DN. VVOLGANGI CRELLII,  
S. Theol. D. & Professor. P.

*Proposita*  
*ab*

